



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Vndè sacra scriptura dicitur litera & spiritus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

in traditiones, id est, ne homines putent se mereri remissionem, & iustos pronunciarī propter has traditiones: Aut ne sentiant fidem inutilem esse sine traditionibus ac talibus obseruationibus, ex qua persuasione ruent conscientia in desperationem, & amittent veram Fidem & Christi notitiam: Vel ne putent simplices aut ineruditi hanc obsequantiam traditionum esse perfectionem Euangelicam, nempe cibum piscium &c. quia verus cultus & Christiana perfectio, sunt Fides, Dilectio, timor, & opera vocationis, &c. Etiam vt consulatur conscientijs, quæ si putabunt hos ritus planè esse necessarios, nūquam acquiescent. Quis enim vnquam obseruauit omnes traditiones? Sed cū in vita humana opus sit certis ceremonijs, ritibus, locis ac operibus, hoc fine, vt omnia honestè & ordine fiant in Ecclesia: nequaquam abolet Cereemonias Euangelium atq; præcepta humana. modò salutis & iustificationis ratio in illis nō collocetur, sed in Christo: Nam sic essent impiæ & doctrinæ Dæmoniorum traditiones. Est igitur obseruantia illa aliud nihil, nisi externa disciplina & pædagogia, quæ in necessitatis casu, modò absit contemptus, potest ex Euangelica libertate prætermitti, aut relaxari.

## CAPVT XVI.

## ARGVMENTA.

1. *Undè sacra scriptura dicitur Litera & Spiritus.*
2. *Quòd Litera occidit, & spiritus viuificat.*
3. *Quare Scriptura vititur figuratiuis sermonib.*



Litera dicitur lex diuina siue lex Mosai-  
ca, quia literis fuit inscripta in tabulis  
lapideis Exodi 20. digito Dei, & manet  
litera, quia nihil ampliùs tribuit legen-  
ti, nisi fides in Christum accesserit quæ  
impetrat

impetrat gratiam, qua facit homo quæ lex exigit. Nā sine gratia, id est, Dei adiutorio homo legem facere non potest: Litera igitur significat & dicitur omnis cogitatio, locutio, observatio operis, vel conatus rationis sine Spiritu sancto. Spiritus dicitur lex Dei, id est, quod Spiritus sanctus excitat in cordibus motus spirituales novos, legi Dei consentientes, ut est Fides, dilectio, timor, charitas, benignitas, pax, &c. Galat. 3. fructus spiritus &c. Nam nisi Spiritus sanctus excitaret hos novos motus in cordibus nostris, ut liberè & voluntariè consentiamus legi Dei, necdū lex Mosaica, sed & Euangelium est litera.

2. Dicit Apostolus 2. Corinthior. 3. quod litera occidat, Spiritus autem vivificet. Lex Moysis sic occidit, quia exigit & iubet satisfactionem, & maledicit non observantem, Deuteronom. XXVII. Nec lex hoc donat quod exigit, nempe virtutem & adiutorium faciendi legem. Et caro nostra est inimica, & non subiecta legi Dei, Rom. 8. Non potest ex suis viribus legem Dei servare, & sic relinquitur conscientia angustiata & propinqua desperationi, & illud dicitur occidere. Nam tamen si lex quandam efficit disciplinam externam, qua cohibentur peccatores & iniusti, non liberat tamen à morte, & semper accusat conscientias lex, quateus illi non satisficit: ob id occidit conscientias. Spiritus autem vivificat sic, quando conscientia apprehendit Christum operatione Spiritus sancti, quæ fides docet gratuitam remissionem peccatorum propter Christum, id est, quod Deus vult reputare peccatorem gratis, propter fidem in Christum, iustum, ac tanquam legi satisfecisset, probum, tunc liberantur corda à terroribus, & conscientia fit læta ac consolata, & tanquam de profundo lacu exurgit, & lætatur in Christo. Et sic dicitur vivificare mortuam penè conscientiam, propter exactam observationem legis.

Et sic